

ne a iuventute edocti sumus omnis disputationis exitum a recte vel secus posito quaestionis statu quam maxime pendere. In re autem presenti minus recte, «ut patet,» dicitur universim quaestionem agi «de impotentia ad matrimonium». Sane cum non una sint matrimonialia feminae officia, impotens ad matrimonium multiplici modo esse potest mulier, prout vel ad copulam, ad prolis conceptum, ad gestionem, aut ad solum partum inepta inveniatur.

Status quaestionis autem prout ex ipsius dubii enunciatione liquet, de impotentia est quatenus haec impedit, quominus matrimonium, coram Ecclesia valide ineatur; seu de *impotentia sub ratione habita, sub qua inter impedimenta matrimonii dirimenda a iure recensetur.*

«I. Impotentia est defectus potentiae seu actus primi, non defectus actus secundi. Matrimonii autem triplex est *essentiale bonum* ex Conc. Flor. Decr. pro Armenis. Horum bonorum primum est proles, et tantum quoad prolem physica impotentia dari potest. Quare matrimonii impotentia phisiologica, est impotentia ad problem et ad generationem prolis.»

Quod impotentia sit defectus potentiae seu actus primi non secundi, est evidens. Ast pari evidentia mihi non constat, ex citato decreto pro Armenis deduci impedimentum impotentiae dirimens matrimonium «phisiologicam esse inpotentiam ad prolem et ad generationem prolis.»

En laudati decreti verba: «§. 16. Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae.... Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verbum de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. *Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei.* Secundum est fides quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium est indivisibilitas matrimonii propter hoc quod significat indivisiblem coniunctionem Christi et Ecclesiae. — Ab Augustino utique verba haec deprompta sunt ita docente (1): «Non quia incontinentia malum est, ideo connubium

(1) *De Genesi ad litteram*, L. IX, c. 7.